

Nam de privilegiis realibus nulla est quaestio; quia si contingat illa transire ad nepotes, non erit ex eo quod sub filiis intelliguntur, sed quia res, cui adhæret privilegium, ad illos pervenit vel pertinet. Quo modo intelligendam puto Authent. *Si quid*, c. Qui potiores, etc. Loquendo ergo de privilegiis personalibus, vera est resolutio, quod nepotes non comprehenduntur nomine filiorum nisi aliud exprimat, quod maxime verum habet in privilegiis odiosis, tamen in rigore etiam procedit in favorabilibus, quia non extenduntur ultra verborum proprietates, nisi fuerit jure expressum. Et ita sentit Barb., d. l. *Maritum*, n. 80, et sumitur in his quæ tradit Reb. in l. *Liberorum*, 220, ff. de Verb. signif. Per quam exponenda est dicta l. *Justa*, eod., scilicet, sæpe filiorum nomine venire nepotes ex benigna juris interpretatione; hoc tamen non esse regulare, atque ita non esse ad privilegia extendendum, nisi ubi de jure vel de mente concedentis alias constiterit.

7. *Non esse inconveniens ut sub principali veniat accessorium, quando finis et ratio privilegii illorum concomitantiam requirit.* — *Posse recitari cum privilegiatio hora qua ipse privilegiatus.* — Ad ultimum denique exemplum, respondetur non esse inconveniens ut sub principali veniat accessorium, quando finis et ratio privilegii illorum concomitantiam seu concursum requirit. Et ita est in casibus ibi insinuatis. Et ita pro regula traditur privilegium eos comprehendere, sine quibus inutile esset privilegium ei cui principaliter conceditur. Ita Abbas, in c. *Quam sit*, de Jud., n. 1; sic ergo dicendum est de privilegio dicendi Missam tempore interdicti; nam inutile esset si non posset minister aliquis illo gaudere. Nec enim cogendus est sacerdos habens tale privilegium quærere ministrum qui similem favorem habeat, ut ab eo juvari possit: hoc enim accidentarium est et ab eo non pendet utilitas prioris privilegii, quod per se debet esse efficax. Neque tunc fit extensio privilegii, sed rigorosa et juridica interpretatio; nam qui facultatem vel potestatem aliquam concedit, omnia necessaria ad illius usum, quæ ab ipso concedi possunt, intelligitur concedere, argumento textus in c. *Præterea*, de Offic. deleg. Dubitari autem potest an sit idem dicendum, quando non est tam necessaria connexio, sed ex quadam decencia vel morali commoditate. Exemplum in praxi contigit in Sacerdote quodam, qui a summo Pontifice privilegium obtinuit recitandi matutinum paulo post meri-

diem, dubitatumque fuit an privilegium illud extenderetur ad socium, ita ut licet ille etiam esset Sacerdos, aut beneficiatus, vel religiosus, satisfaceret suo muneri simul cum alio privilegiato eadem hora recitando. Ibi enim erat major dubitandi ratio, quia socius non est ita necessarius ad recitandum, sicut ad faciendum sacrum. Nihilominus tamen cuidam viro gravissimo et Apostolico Nuncio visum est, privilegium illud etiam ad socium extendi, et ita observatum est. Potuit autem illa interpretatio fieri ab illo illustrissimo viro, vel ex speciali auctoritate, quam ut Apostolicus Legatus hoc habere poterat, vel certe ex probabili juridica conjectura mentis concedentis, privilegium illud concessit ad juvandum sicut nectutem et labores privilegiati; parum arduum fuisse levamen, nisi ex vi ejusdem privilegii daretur facultas recitandi cum sociis, qui simul posset suæ obligationi satisfacere.

8. *Accedit quod, licet recitare privatos non socio non sit absolute necessarium, est tamen communiter in Ecclesia usitatum, et magis conforme choro ecclesiastico; ergo credibilis est privilegium dari ad illum etiam recitandi modum.* Denique favet c. *Licet*, de Privileg. in 6, ubi explicatur privilegium datum singulari personæ ad celebrandum vel audiendum divina tempore interdicti, extendi ad familiares et domesticos ejus, ut cum illa possint audire divina, vel ei assistere celebranti. Quæ non videtur ibi tradi ut nova concessio, sed ut legitima interpretatio prioris, fundata vel in quadam decencia, quia persona illa solet esse illustris, vel gravis, et pro sui status conditione solet familiares suos secum ad divina officia ducere, vel cum eis comitatus incedere; vel in morali quadam congruitate, quia patronus, habens curam familiæ suæ, non sui tantum, sed etiam familiæ suæ curam gerere debet; et ideo mens Pontificis fuit illi omnibus modis providere. Per hæc ergo de similibus privilegiis judicandum est; cavendum tamen est ne hæc extensio ad socios vel familiares nimia facilitate fiat, sed magna consideratione et maturitate fiat, juxta capacitatem et exigentiam materiæ privilegiorum. Quædam enim sunt tam odiosa et tam stricti juris, ut extendenda non sint ad socios, nisi quatenus in tenore privilegii expresse continentur. Et tale esse puto privilegium ingrediendi monasteria monialium, et alia hujusmodi.

CAPUT XII.

DE COMMUNI ET ORDINARIA FORMA PRIVILEGII.

1. *De forma interna et externa privilegii.* — Explicato subjecto seu materia privilegii, dicendum sequitur de illius forma, quæ in privilegio se habet veluti ejus causa formalis. Et quoniam diximus humanum privilegium esse quandam legem humanam, ad illud debent cum proportionem applicari quæ de legis humanæ forma supra generatim dicta sunt; potest ergo hic etiam distingui forma interna et externa. Sed circa priorem non immorabimur, quoniam sumatur pro voluntate, seu consensu, vel intentione concedentis, satis per se constat necessariam, quia consensus principis et petitis maxime est de necessitate legis, quæ est essentia omnis promissionis, donec contractus humani; eademque ratio est de privilegio. Quomodo autem cognoscatur, vel investigetur mens concedentis ex verbis privilegii, magna ex parte in præcedentibus capitulis declaratum est, et paulatim consummabitur in sequentibus, præsertim infra tractando de interpretatione privilegii. Si vero interna forma privilegii dicatur ratio concedendi privilegium, illa coincidit cum finali causa privilegii, de qua dicemus inferius. Formam autem legis externam appellavimus signum sensibile et externum, quo voluntas legislatoris innotescit, et hoc signum pari ratione necessarium est in privilegio, sicut est etiam necessarium in omni humana communicatione. In eodem vero signo duo distinximus, quæ in privilegio etiam inveniuntur, scilicet, res sensibilis, quæ est signum, et ipsa ratio formalis signi: addidimus vero tertium, scilicet, solemnitatem promulgationis, quæ in privilegiis habet specialem difficultatem, et ideo infra specialiter tractabitur. Signum autem quoad ejus materiam satis jam explicatum est demonstrando essentiam privilegii, ubi ostendimus scripturam non esse simpliciter necessariam ad substantiam privilegii, et consequenter sufficere quodlibet signum, cujuscumque conditionis seu materiæ sit, dummodo sufficienter declaret consensum principis, saltem tacitum, ut in privilegio ex consuetudine magis declaravimus.

2. *Significationem verborum esse maxime de substantia formæ privilegii.* — De significatione autem ipsa, certum illam maxime esse de substantia hujus formæ, quatenus humana

est, quia illa est quæ in se continet suo modo voluntatem principis, tanquam unicum morale instrumentum ejus (ut sic dicam), seu virtutis, et operationis illius, quia voluntas principis non operatur nisi ut manifestata hominibus; manifestatur autem per verba aut scripta, quatenus vim significandi habent, ut constat. Et ideo in privilegiis, sicut in aliis legibus, maxime attendendum est ad propriam verborum significationem, et ad usum illorum, vel communem, vel juridicum. Ad hanc igitur verborum significationem pertinent variæ formulæ et modi concedendi privilegia, quæ valde diversam vim habent et efficaciam, ideoque illas attingere et explicare operæ pretium erit. Possumus autem hanc formam distinguere in ordinariam seu directam et absolutam, et in virtuales, indirectam seu respectivam. De hac ergo posteriori, quæ multiplex est, dicemus in capitulis sequentibus; hic breviter de priori dicemus, nonnullas ejus partes declarando.

3. *Constat igitur ex dictis substantiam hujus formæ constare in verbis quæ sufficienter significant concessionem alicujus gratiæ aut specialis juris alicui factam, pro se vel pro rebus suis, in perpetuum, vel ad certum tempus, vel indefinite, juxta dicta in præcedentibus capitulis.* Ex quibus etiam constat ratio et intelligentia hujus descriptionis. Solumque oportet advertere, licet dictum sit verba vocalia sufficere ad substantiam privilegii, nihilominus hic præcipue esse sermonem de verbis scriptis; tum quia sicut sunt moraliter necessaria inter homines ad stabilitatem et durationem privilegii, ita etiam sunt maxime usitata; tum etiam quia intelligentia privilegii ex tenore verborum ejus maxime pendet, et ideo ille maxime spectandus est, juxta c. *Porro*, c. *Recepimus*, cum similibus, de privilegiis. Hoc autem fieri commode non potest, nisi scripta sint verba privilegii, ut tam ex illorum proprietate, quam ex consecutione ac collatione antecedentium cum consequentibus, vera mens concedentis percipiatur.

4. *Tres partes in privilegio considerandæ.* — Tres ergo partes in privilegio considerandæ sunt ad intelligendam substantialem formam ejus, nimirum illam quæ antecedit concessionem privilegii, quæ solet esse petitio privilegii seu exordium, quod illam indicare solet, quando præcessit, vel saltem rationem, causam, vel necessitatem privilegii. Alia est concessio formalis privilegii, per quam voluntas principis explicatur. Tertia esse potest consequens con-

cessionem, et illam limitans, extendens, aut declarans. Ex quibus secunda videtur per se spectare ad substantialem formam, quia est ipsa intimatio voluntatis legislatoris, seu privilegioris. Tamen, quia talis solet esse concessio qualis est petitio, et subsequencia verba sæpe declarant antecedentia, etiam quoad substantialem eorum significationem, ideo omnes istæ partes attente spectandæ sunt, et ideo circa unamquamque illarum aliquid adnotabimus, ut inde facile possint cætera colligi.

5. De duplici modo quo solet concedi privilegium. — Circa primam igitur partem, advertere oportet dupliciter solere privilegium concedi, uno modo ad petitionem et instantiam alicujus, alio modo ex mero principis arbitrio, seu voluntate ac liberalitate. Qui duo modi privilegiorum fere ab omnibus admittuntur, licet quidam negare videantur privilegia concedi ad instantiam partis, nam hoc est proprium dispensationis. Sic sentit Emm. Roder. in Quæstionib. regul., tom. 2, q. 46, art. 2, dum in hoc differentiam constituit inter privilegium et dispensationem, quod privilegium ad nutum principis, dispensatio vero non nisi ad instantiam partis conceditur; quia cum contineat juris relaxationem, non decet a principe fieri, nisi parte supplicante. Sed hæc ratio æque procedit de privilegio riguroso, quod juris communis derogationem seu relaxationem continet: in illo ergo etiam intervenire debet instantia partis. In altero vero privilegio, quod est purum beneficium, licet tam necessaria non sit, intervenire tamen potest, quia nihil repugnat, imo frequenter ita fit, ut ex usu constat. Et, e converso, etiam prius privilegium concedi potest sine instantia partis, imo et dispensatio potest ita concedi, ut supra dixi; si ergo superior videat expedire, et subditus sit remissus, vel scrupulosus in petendo tali privilegio, potest illud sua sponte offerre, quia nulla in hoc est inordinatio, imo potest esse actus charitatis et justitiæ legalis vel distributiæ. Certum ergo est illos duos modos privilegiorum esse posibles et usitatos, multumque referre illos distinguere ad vim et efficaciam privilegii intelligendam.

6. Secundo igitur observandum est hos duos modos privilegiorum, ex forma concessionis, per hanc generalem regulam esse distinguendos: quoties in ipso privilegio expresse non dicitur concedi *motu proprio* concedentis, intelligi concessum ad alicujus instantiam. Probatur, quia tunc solum censenda est gratia motu proprio facta, quando ita in privilegio

exprimitur: ergo, e converso, quoties non exprimitur, intelligitur facta ad petitionem alicujus. Antecedens habetur in c. *Si motu proprio*, de Præbend., in 6. Rationem reddunt juristæ, quia motus proprius includit negationem instantiæ seu petitionis alicujus, quæ difficillimam habet probationem, et ideo necesse est ut modus concedendi motu proprio expressis verbis declaretur et probetur. Ita significat Glossa in dicto c. *Si motu proprio*, et latius explicat cum aliis quos referit Staphil., de Gratiis et expect., etc., § *Subsequente*, n. 17. Et inde facile probatur consequentia, quia non datur medium; quid enim proprio motu non fit, necesse est ad petitionem alicujus. Sed contra hanc nem et probationem objici potest, quod consecutio illa immediata est, nec videtur esse adæquata, quia fieri utroque simul titulo privilegium non enim repugnat aliquid facere arbitrio ac liberalitate, etiamsi alicui et quasi excitatio præcesserit: imo non repugnat ex utroque motivo simul operari. Sicut enim potest quis bene operari, et ut Deo placeat, et ut propriam beatitudinem consequatur, ita etiam potest princeps privilegium concedere, et quia sibi placet, ex suaque mera liberalitate, et ut alii petenti morem gerat. Denique, in ipsis rescriptis privilegiorum, sæpe videmus, præmissa petitione privilegii, postea nihilominus concedi proprio motu; constat autem ex dicto capit. semper censi privilegium motu proprio concessum, quando hoc in ipso exprimitur; ergo etiamsi sit ad petitionem partis, erit etiam motu proprio; nam in illo textu generaliter ita dicitur, et veritas verborum principis dicentis se motu proprio id facere, requirit ut ita sit, etiamsi petitio præcesserit. Ergo falsum est quod in prædicta ratione sumebatur, motum proprium includere negationem petitionis, cum possit esse simul cum illa. Unde Rebuff. in Concordat., tit. *Forma mandati*, verb. *motu proprio*, dicit hanc clausulam operari suos effectus, etiamsi concessio emanaverit ad petitionem alicujus; et in Pract., 1 p., tit. de Clausul. mandat., n. 21, dicit Papam concedere motu proprio, etiamsi impetrans petiit, quando non fuit motus sola petitione. Quam sententiam refert ex Bald., Parisio et Decio, et eandem tradit Dec., cap. 2 de Rescript., n. 5.

7. Dicendum vero est utrumque esse verum in diverso sensu. Nam imprimis in universum, et sine exceptione verum est, quoties princeps,

ex motu proprio vel propria sponte, aliquod privilegium se concedere dicit, illud non ita concedi ad instantiam alicujus, ut ejus petitio sit adæquata causa finalis, vel ratio concedendi privilegium, ita ut sine illa non daretur; sed potius ita concedi ex libertate principis, ut etiam sine petitione illud esset concessurus, ut recte tradidit Bald. in c. *Nisi*, de Offic. deleg., et probat ratio facta. Quia si princeps dicit se motu proprio aliquid concedere, necesse est ut in aliquo vero sensu ita sit; non potest autem esse verum, nisi vel petitio non præcedat, vel saltem non ita præcedat ut ab illa pendeat concessio privilegii, quia alias non moveretur princeps ex se, et quasi ab intrinseco motivo, quod esset contra veritatem verborum ejus; ergo, ut vere dicatur concessio facta *motu proprio*, necesse est ut excludat petitionem, vel omnino, vel saltem ut principalem causam a qua pendens fuerit concessio. Utrouque autem modo sumpta, illa negatio habet difficillimam probationem directam et in se (ut sic dicam), et ideo merito postulatur expressio illius clausulæ, ut concessio spontanea et motu proprio esse censeatur. Et ita recte procedit ratio supra adducta. Nam si ipse princeps affirmet se motu proprio aliquid facere, per illam affirmationem optime probatur altera negatio in alterutro sensu ex dictis: si autem princeps non declaret, se motu proprio dare privilegium, non poterit id probari nisi probando negationem dictam in utroque sensu explicato, quod moraliter impossibile est.

8. Unde etiam fit ut, si in tenore privilegii præcedat petitio, et postea non sequatur clausula motus proprii, statim censeatur esse ad instantiam partis, tum propter dictum cap. *Si motu*; tum quia nulla est ratio ad præsumendum aliud. Imo, licet contingeret, in privilegio non præcedere petitionem, sed tantum narrationem causarum et rationum quæ moverunt principem, et postea etiam non subsequi clausulam *motu proprio*, semper privilegium censeatur et ad instantiam alicujus concessum; tum quia absoluta regula textus in dicto cap. *Si motu proprio*, hoc requirit; tum etiam quia ratio adducta ad idem induci potest, quia nemo præsumitur ultro seu mere liberaliter, et sine ullius petitionis intuitu aliquid dare, nisi vel expresse id affirmet vel probetur. At probari non potest, ut dictum est; ergo si non exprimitur non præsumitur. Unde tandem concluditur petitionem esse adæquatam, et per immediatam contradictionem, quia vel in privilegio dicitur dari motu

proprio, et tunc semper est tale, sive petitio antecedit, sive non; vel non ponitur illa clausula, et ita semper est ad instantiam partis. Possent autem non male subdistingui singula ex illis membris juxta proxime dicta, quæ statim amplius explicabimus.

9. Est enim advertendum magnum esse discrimen inter illas duas formas concedendi privilegia; nam clausula *motu proprio* plures habet effectus, quibus caret privilegium sine illa concessum. De quibus effectibus videri potest late Rebuff. supra in forma mandati. Et Staphileus supra, et Anton. Gabr., lib. 6 Communium opin., tit. de Clausul., cond. 2. Tres vero differentiæ sunt præcipuæ, et nobis notandæ. Una est, quod privilegium ad instantiam petentis concessum non est tam voluntarium et liberale, sicut quod motu proprio conceditur, quia hoc est magis ab intrinseco, et ita magis ex propria liberalitate. Et ideo, cæteris paribus, privilegium motu proprio concessum majus censeatur beneficium. Unde etiam fit ut clausula *motu proprio* ampliet privilegium, quantum proprietatis verborum patiat, quod secus est quando in privilegio illa clausula deest; quia ubi gratia per solam instantiam petentis conceditur, præsumitur minus voluntaria, vel etiam per importunitatem extorta, ut est communis sententia juristarum, quos late refert Anton. Gabriel, supra, n. 61 et 72; Rebuff., in quarto effectus; Staphileus, n. 29, qui variis modis limitant et ampliant hunc effectum.

10. *Privilegium motu proprio concessum non retorqueri unquam contra eum cui conceditur, sicut solet interdum quod est concessum per propriam petitionem.* — Aliud discrimen est, quod privilegium motu proprio concessum non retorquetur unquam contra eum cui conceditur, sicut interdum solet retorqueri privilegium per propriam petitionem obtentum, ut notavit Rebuff. supra, § *Vigesimum septimum*. Et idem voluit Anton. Gabr., n. 66, qui pro regula ponit, quod stante motu proprio non habet locum titulus: *Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*. Quod significavit etiam Bart. in l. 1, ff. de Constitut. Princ., numero 2. Et ratio sumitur ex ipsismet verbis tituli prædicti. Nam cum privilegium datur motu proprio concedentis, non potest dici ortum ab ipsomet privilegiario, et ideo non debet in illum retorqueri; at vero quando est obtentum ad petitionem ejus, ipse merito censeatur statuisse sibi tale jus, ut habetur ex l. 3, ff. Quod quisque juris, etc. Ex